

“ viri ante Deum adstant, illius laudes psallant et  
“ infinitae perfectionis illecebras contemplant.

“ 3: Haec vana dum agis, evanescit tempus, accedit mors et te ad saltandum convocat.”

Quis talia mente evolvens credet secure choreis  
indulgere posse ?

#### X. DE MELIORI GREGIS PARTE.

Quivis spiritualibus negotiis addictus et zelo animarum affectus, consentiet proficientiam justorum in virtutibus et conversionem peccatorum magna ex parte pendere a bono exemplo ; nihil idcirco tam utile quam existentia in qualibet parochia fidelium animarum pietatem colentium.

Non utique multas fideles animas in parochia invenit pastor, gratiam postulantes et misericordiam implorantes a benignissimo Salvatore. Minime aliquando apparet in numerosa parochia haec melior pars gregis. Conari ergo debet sacerdos in primis ut certus numerus piarum personarum colligatur ex electis, permaneat, provehatur et crescat.

Ad hunc finem obtainendum, singula non negligenter tractet ; sedulo e contra illi attendendum est ut in ecclesia sua erigatur saltem una confraternitas in honorem Immaculatae Virginis, et, quantum possibile est, vigeant sodalitates Sacrae Familiae, Sti. Joachim, Sti. Joseph, et Filiarum Mariae ad diversorum ordinum utilitatem.

Invitentur insuper piae istae societates ad ineun-